# DECRETA SYNODI DIÆCESANÆ FLORENTINÆ. HABITA IN METROPOLITANA...

Diocesi di Firenze

# DECRETA SYNODI DIOECESANAE FLORENTINAE.

*Habita in Metropolitana Ecclesia die XVI. Mensis Iunij Anno 1637.*



*Florentiæ, Ex Typographia Sermartelliana. 1637.*

Superiorum permissu.

# PETRVS NICOLINVS DEI ET APOSTOLICAE Sedis Gratia Florentiæ Archiepiſcopus.

*Vniuerſo eiuſdem Ciuitatis & Diœceſis Clero Salute.*

VIrgam vigilantem, quam viderat olim Sanctiſſimus vates Epiſcopis animarum paſtoribus indiraá eſſe', & veluti hereditariam præ manibus habitam nemo veſtrum non nouit Fratres in Chriſto dilectiſſimi. Ea quippe ſacrorum Antiſtitum dignitas eſt, ea dignitatis officia, vt ad bonæ nimirum frugis paſcua non modo gregem rectrice Virga compellant, ſed eadem etiam ad incolumitatem excubent, prouideq; præuideant, quæ animorum procurationi per vtilia cenſentur.

Diuinitus ideo inſtitutę ſunt Synodi Diœceſanę quibus de propulſandis periculis de præſidijs beatæ vitæ opportunè pręſtandis, conſultiſſime ſtatuatur:

Huius igitur muneris, cui nulla meritorum ſuffragatione delecti ſumus, non immemores, Synodum iniuria tem-

porum, & multiplici negotiorum varietate diutius distractam de more frequentandam decreuimus.

Quia tamen Prędecessores nostri, quorum aliqui Romana purpura inaugurati & ad summū Ecclesię Sacerdotium euecti sunt, decreta sanciuerunt ad morum temperationem, virtutisq;honestatem vberrima, nos in proximo conuentu ea cōfirmanda iudicamus & ex ijs quædam singillatim repetere vobisq; peculiari cura commendare & nonnulla insuper addere censuimus quæ Christianæ pietatis cultum copiosius fęliciusq; promoueant.

Vos propterea conuocandos existimamus vt earū omnium sanctionum studium impensè commendemus, adeò vt in animorum prouincia nobis vobisq; demandata solertiam, hoc est virgam verè vigilantem pręferamus, quod vt absolutissimè atq; insigniter expleri possit, enixè imploranda est Diuini Numinis indulgentia, & charitas, cui ad humanę salutis excubias vel ipsum cor oculatum semper vigilat.

## TITVLVS. I.

### *De Constitutionibus.*

QVoniam Venerabiles prædecessores nostri Archiepiscopi multa prudenter ad publicum animarum bonum sancita reliquerunt; quę persistere, & florere, ac inuiolabiliter seruari par est: hic igitur in primis innouamus & obseruari præcipimus omnes, & singulas Synodales Cõstitutiones, Reformationes, statuta, ac decreta, quę anno 1517. sub Illustrissimo, & Reuerendissimo Iulio de Medicis Sanctæ Romanę Ecclesię Cardinali, & Archiepiscopo Florentino, & postea Summo Pontifice Clemente Septimo, edita & publicata sunt, & à Leone Decimo dupplici diplomate munita reperiuntur, Nec non etiam Synodus, edicta, constitutiones, declarationes, reformationes quascumq; quæ ab Illustrissimo Antonio Altouita, & ab Alexandro Mediceo Cardinali, & Archiepiscopo Florentino, & postmodũ Leone Vndecimo; & ab Alexandro Martio Mediceo prędecessoribus nostris, & à nobis etiam hactenus factæ, decretæ, ac promulgatæ sunt. Quę omnia, & singula prædicta, intelligimus, ac declaramus nos in præsenti Synodo innouare, præcipere, & publicare, pro vt alias, ordinata, præcepta & publicata sunt. Quatenus illa Sacro Sancti Tridentini Concilij, & Summorum Pontificum, vel Sacrarum Congregationum constitutionibus, statutis, decretis, reformationibus, minime repugnent, aut contraria sint.

## TITVLVS. II.

### *De Vita & honestate Clericorum.*

QVod attinet ad vitam, moresq; Clericorum, & Sacerdotum; meminerint omnes sibi præcipuè Diuini Oraculi voce dictũ esse, Sancti estote, quia ego Sanctus sum. Etenim

ipsi cum propter eximiam Sacerdotij dignitatem, officijq; pręstantiam, Dei & hominum mediatores sint; quo magis Deo propinquant, eo magis debent supra cæteros mortales morum integritate, ac virtutum sanctimonia fulgere: & ita in omnibus esse Deo similes, vt ipsorum vita sit veluti speculũ quoddam Diuinitatis, in quo cernentibus appareat quid agi quid vitari conueniat. Illa insuper Christi Domini verba, væ homini illi, per quem scandalum venit, sibi potissimum dici reputent Sacerdotes; qui cum constituti sint à Deo Duces cœcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt; alias reddunt ad peccandum audaciores exemplo suo. Quis enim id sibi non licere existimet quod in sacerdotibus videt. Studeant igitur vitam habere benefactis ornatam; vt sic cæteros à vitijs auertant, prouocent ad virtutem; & vt sacris manibus sanctissimam, purissimamq; filij Dei victimam præseferentes possint libera conscientia profiteri manus istæ nullo scelere pollutę sunt, iniuriam intulerunt nemini, nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis ac vtilibus; quæ viris iustis, honestis, sapientibusq; probantur. Enimuero quam indignum, quamq; indecorum est, videre sacros viros viua Christi Domini templa, non virtutum ornamentis clara; atq; illustria, sed vitiorum omnium fędissima labe respersa. Quis non iure vituperet, contemnat, & plane conculcet, eos, qui cum nutriri debeant in croceis, amplexantur stercora, & cum vitam ducere debeant sanctam, omniq; pietate exercitam, sępe in ludis, in commessationibus, in ebrietatibus, in impudicitijs, in scurrilitate, in stultiloquio depræhenduntur. Meminerint igitur omnes dignitatis suæ, per quam facti propiores Deo, indignum sibi reputent ad praua Laicorum studia descendere, eorumq; incompositos mores imitari. Quapropter omnes tam in minoribus, quam in sacris constituti inuiolabiliter seruent; quę de vita & honestate Clericorum per plura capita in prędecessorum nostrorũ Synodis sancita sunt. Quæ omnia & singula hic innouamus sub ijsdem pœnis, ac in eo vigore quo sunt perseuerare volumus. Et quoniam audiuimus non nullos Clericos ità oblitos esse muneris ac dignitatis suæ, vt magno cum aliorum scandalo audeant in publicis priuatisq; virorum ac fęminarum congressibus Choreas ducere, & amatorias cantiunculas canere. Idcirco in virtute

Sanctę

Sanctæ Obedientiæ pręcipimus, ne quis siuè in sacris, siuè in minoribus constitutus, audeat rem huiusmodi indignam perpetrare. Et quicumq; contra præceptum hoc nostrum fecerit; sciat se non solum peccaturum grauiter contra obediētiam nobis debitam: sed etiam subiectum fore, pœnis pecuniarijs, & etiam pœnis grauissimis spiritualibus Excommunicationis, & suspensionis nostro arbitrio imponendis.

## TITVLVS. III.

### *De Officio Parochorum.*

PArochi & omnes curam animarum gerentes meminerint se Omnipotenti Deo, non solum de proprijs, verum etiā de sibi subditorum animis rationem reddituros. Animarum cura onus per se grauissimum est, & magnis, crebrisq; periculis obnoxium, & vt aibat Magnus ille Gregorius ars est artium regimen animarum. Etenim occultiora sunt vulneribus corporum, vulnera animarum, quibus Parochi mederi debent. Igitur nè rei alienæ damnationis aliquando sint. Oportebit eos summopere vigilare, vt nihil eorum prætermittant, quæ muneris sui propria esse cognouerint. Et quidem in prædecessorum nostrorum Synodis multa de hac re sanctè pièq; sancita sunt. Quę omnia si Parochi hactenus diligenter seruassent. Næ illi melius tum suæ, tum subditorum suorum saluti consuluissent. Sed singillatim hic iterum commendamus, & strictè præcipimus Parochis, omnibusq; curam animarum habentibus, vt diebus festis, doceant doctrinam Christianam rudes, & pueros suæ curæ commissas, vel conuocando populum cum tintinnabulo, vel eodem conuocando ad Ecclesiam à prandio, cum maiori campana, vel antequam incipiant sacrum, vel lecto Euangelio, quibus, temporibus explicent Mysteria pręcipua nostrę fidei. Videlicet SS. Trinitatem, Incarnationem, ac reliquos articulos, & præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, eiusq; Sacramenta. Et vt rem tanti momēti facilius peragant, vti poterunt Cathechismo breuissimo quod sub Illustrissimo Alexandro Martio Mediceo Prædecessore nostro impressum est, & vt populum ad hoc tam salutare exercitum alliciant poterunt etiam indulgentias promul-

1. Part. Pastor. Cap. 1.

gare quas Christianam Doctrinā docentibus & eudientibus, Pius V. & Gregorius XIII. concessit & propterea mandamus vt singuli apud se librū habeant in quo describantur omnes de tempore in tempus maiores septemnij eius curę subiecti. Prętcrea quantum in Domino possumus hortamur Parochos vt cum debita Charitate suos subditos non solum instruant, & doceant ea, quæ scire illos oportet: verum etiam eorum confessiones audiant: & cætera Sacramenta illis ministrent, & præcipuam infirmorum curam habeant. Quos sæpe visitare debent, eisq; opportunè sacramenta præbere, & Sanctis colloquijs eorum animos ad Deum erigere, & si fuerint in statu mortis eos in quantum possunt in tam periculoso conflitu ne deserant. Eo enim maximè tempore, se veros patres, & bonos animarum pastores præbere debent.

## TITVLVS. IV.

### *De Collationibus Casuum in Congregationibus faciendis.*

NE Parochi otio, desidiaq; sordescant, & nè propter suā imperitiam: & suam ipsorum, in audiendis confessionibus, & pœnitentium animas eos ilaqueare potius, quam soluere, prauisq; doctrinis imbuere contingat. Idcirco casuū conscientię studium illis summopere commendamus, & in omnibus Plebanijs extra ciuitatem reassumantur Congregationes Sacerdotum curam animarum habentium, alias institutę, & vbi non sunt instituantur. Quæ Congregationes fiant vel singulis mensibus, vel tot vicibus quolibet anno quot erunt Sacerdotes cuiuslibet Congregationis. Et quando sunt pauci Sacerdotes in aliqua Plebania vniantur inter se plures Plebanię, ita vt sufficiens numerus Sacerdotum habeatur, & nullus sit Rector animarum extra ciuitatem, qui alicuius Cōgregationis non sit. In huiusmodi autem Congregationibus proponantur saltem duo casus, & discutiantur, & singulorum sequta responsione & sententia; ille qui ex ordine proposuit afferat veram decisionem & resolutionem ex mente alicuius approbati auctoris. Et Camerarius cuiusq; Congregationis scripto excipiat quid propositum, & quid resolutum sit notādo diem & locum in quo acta est quælibet Congregatio, &

nume-

numerum eorum qui interfuerunt, & nomina abſentium, & paratus ſit cum huiuſmodi caſibus ſcripto exceptis ad nos accedere, quoties vocabitur. Similiter & Rector cuiuslibet Cōgregationis curet diligenter vt Congregatio non omittatur; & vt Camerarius rectè fungantur, quo ad hanc partem officio ſuo: & ipſe etiam paratus ſit ad nos accedere cum vocabitur, vt rationem nobis reddat, quomodo ſe habeat Congregatio, alioquin tum ipſe quam Camerarius ſubiectus erit pœnis alias in Synodo celebrata anno 1629. impoſitis, & alijs noſtro arbitrio imponendis. Quod ſi quis curam animarum habens depræhenſus fuerit non eſſe alicuius Congregationis; vel eſſe in ea frequentanda valdè negligens: pro ratione ſuę negligentię incurret pœnas noſtro arbitrio imponendas.

## TITVLVS. V.

### *De Reſidentia.*

PAſtoribus animarum tantopere commendatur, ac tam ſtrictè præcipitur reſidentia, tum à Summorum Pontificum, tum Sacrorum Conciliorum, & præcipuè Tridentini Conſtitutionibus nec non etiam in prædeceſſorum noſtrorū Synodis tam multa circa paſtorum reſidentiam prudenter ac copiosè ſancita, pręcepta atq; ordinata ſunt: vt minimè necesſè ſit aliud hic addere, ſolum nobis inuigilandum eſt vt ea rectè ſeruentur. Quod vt fiat; omnibus curam animarum gerentibus notificamus noſtrum ædictum publicatum anno 1634. quod ſeruari volumus pro vt hic iacet.

Piero Niccolini per gratia di Dio e della Santa Sede Apoſtolica Arciueſcouo di Firenze. Alli R.R. Piouani, Priori, e Curati della Città, e Dioceſi noſtra Fiorentina ſalute nel Signore. Vedendo noi con noſtro gran trauaglio d'animo, che molti Curati, e Rettori di Chieſe Parocchiali, non obſtante le prohibitioni contenute ne ſacri Canoni, Conſtitutioni Pōtificie, Sacro Concilio di Trento, e ne Sinodi celebrati in queſta Città, e negl'ordini publicati per gli noſtri Predeceſſori, ſcordatiſi al tutto del obligo, à che ſon tenuti, come Paſtori d'inuigilare ſopra il lor gregge ardiſcono ſtare aſſenti dalle loro Chieſe e Cure in graue pregiuditio del anime alla lor

cura

cura commesse. E desiderando noi per quanto possiamo à così pernitioso inconueniente rimediare. Per ciò per questo nostro presente Editto in virtù di Sãta Obedienza comandiamo à tutti gli Curati di qual si sia grado è condizione, che infià sei giorni prossimi dal dì della publicatione d'esso deuino essere con effetto ritornati alle Residenze delle loro Chiese, & à Curar' li popoli à essi raccomandati, e sottoposti sotto le pene comminate in detti Sacri Canoni, Constitutioni Pontificie, nel Sacro Concilio di Trento, e Sinodi. E successiuamente, espressamente prohibiamo à ciascuno Piouano, Priore, e Rettore sotto le medesime pene il partirsi dalle dette lor cure senza nostra espressa licenza, ò del nostro Signor Vicario da concedersi in scritto, e non in voce. Et in caso di Vrgente necessità, che non si potesse aspettare tale nostra licenza, che con tutto ciò, non possino in modo alcuno partirsi dalle loro Chiese, se non precedente la licenza delli loro Piouani, & essendo gli stessi Piouani, del Rettore più antico del Piuiere, la quale possino concedere per tre giorni solamente, pur che intra essi non ve ne sia alcuno festiuo, e di precetto; & il tutto in scritto, e non in voce, con specificare nella licenza la causa del Vrgenza, per che non essendo giusta, e necessaria, non gli sarà in modo alcuno ammessa, e le dette licenze deuino essere sottoscritte di man propria di chi le concede, e sigillate con il suo sigillo, & in esse deua esser posto il Giorno, Mese, & Anno compitati, e non con figure d'Aabaco, acciò non si possa commettere fraude, aggrauando le conscientie tanto di quelli, che le concederanno, quanto di quelli, che le domanderanno. Reuocando tutte le licenze di stare assente dalle Cure, tanto per noi, quanto per li nostri Antecessori fino al presente giorno, così in scritto, come in voce date, & in qual si voglia modo concesse. Dato in Firenze nel nostro Palazzo Archiepiscopale il dì 27. di Marzo 1634.

Piero Nicolini Arciuescouo di Firenze.

*Iosepus Barnius Cancell de mand ß.*

Et

ET quamuis ab hoc nostro ædicto pœnam pecuniariam: quę erat in eo contenta, auferre nobis in pręsentia visum sit, sciant tamen omnes inobedientes & contumaces nos contra eos, cum pœnis tam spiritualibus quam temporalibus in prædictis sacris Canonibus, in Constitutionibus Pontificijs in Concilio Tridentino, & in prædecessorum nostrorũ Synodis & ædictis alias, contentis, seuerè processuros. Quare curent omnes eas bene cognoscere, atq; intelligere, & memoria retinere. Quia nulla eis ab ignorantia, aut obliuione petita admittetur Excusatio.

## TITVLVS. VI.

### *De Sepulturis.*

SI qui extra ciuitatem in confraternitatibus Ruralibus sepulturam elegerit: non prius sepeliatur, quam sequatur celebratio funeris in Ecclesia Parochiali rurali, sub qua erat, vel sub qua è vita decessit is, qui in dictis confraternitatibus sepulturam elegerit, vel saltem prius concordetur Parochus Ecclesiæ ruralis antè quam talis electio sepulturæ suum sortiatur effectum.

## TITVLVS. VII.

### *De Ieiunio.*

CVm grauissimo pestilentię morbo nostra hæc ciuitas vexaretur; opportunum duximus Beatissimę Virgini Dei Matris opem implorare: eamq; apud Deum publicę calamitatis deprecatricem adhibere. Itaq; accepto prius primorum ciuitatis consilio, & consensu, & indicta Cleri supplicatione ad ipsum Virginis Annuntiatæ Sacellum perreximus: Vbi eidem Virgini voto nos, totiusq; ciuitatis populum obligauimus ad ieiunium in posterum singulis annis seruãdum ipsa die, quæ præcedit festum immaculatæ Conceptionis ipsius Virginis: si ipsa Deum nobis placatum reddere, eiusq; nostris ceruicibus impendentem iram auertere dignaretur. Nec dubium est quin Sanctissimæ Pijssimæq; Matri votum reddere

debea-

debeamus, cuius patrocinio nobis sanitas & salus reddita est. Igitur Sancta Synodus declarat dictum ieiunij votum seruandum esse, & obligare omnes, ac singulos in ciuitate tantum: eiusq; obseruantiam etiam atq;etiam commendat & pręcipit.

## TITVLVS. VIII.

### *De Sacramento Baptismi.*

QVoniam audiuimus quibusdam in locis Parochos ad Ecclesiam sui Plebani non accedere illis diebus quibus aqua Baptismalis renouari solet, vt debitum obsequium suo Plebano præstent. Idcirco visum est nobis hic specialiter renouare decretum, quod super hac re in Synodo celebrata Anno 1619. editum est; & habetur Tit 2. cap. 3. §. 8. Ordinamus igitur, vt illis diebus, quibus ex veteri Ecclesiæ instituto aqua Baptismalis renouari solet, Parochi omnes siuè seculares, siuè regulares sint ad Ecclesiam sui Plebani conueniant, vt eum adiuuent ad quam Baptismalem conficiendam. Alioquin pœnam viginti aureorum subeant, si absq; legittima facultate, ab Ordinario, vel à Plebano in scriptis habita, eò conuenire neglexerint. In illis autem Plebanijs, in quibus Ecclesię sunt habentes fontem Baptismalem, huiusmodi diebus, easdem sacras cæremonias perficiant proprij Rectores, conuocatis aliquibus sacerdotibus, de licentia Plebani, sine qua licentia & facultate, qui relicta Ecclesia sui Plebani ad huiusmodi Rectorum Ecclesias accesserit, eidē viginti aureorum pœnę erit obnoxius.

## TITVLVS. IX.

### *De Sacramento Pœnitentiæ.*

OMnes Sacerdotes tam seculares quam regulares, qui ad examen accedunt vt ad confessiones audiendas approbentur: si animarum curam habituri sunt; in ordine ad eamdem curam & sacramentorum administrationem specialiter examinentur. Et idonei reperti & approbati, litteras patentes recipiant in quibus clarè ac distinctè declaretur eos exami-

natos,

natos, & approbatos fuisse ad curam animarum habendam. Curent etiam omnes Confessarij tam sæculares quam Regulares vt in Confessionalibus habeant Bullam Cœnæ Domini, & casus ab Ordinario reseruatos, & documenta edita pro Cõfessarijs cum absolutionum formulis, iuxta Rituale Pauli V. & si opus sit denuo imprimantur dicta documenta, cum casibus reseruatis, & absolutionum formis. Vt ea omnes apud se habere facile possint, at sępius legere, & memoria retinere, vt Confessarij ritè tantum Sacramentum fidelibus ministrent; & nè ex ignorantia mittant falcem in alienam messem; & absoluant ea crimina quæ vel summo Pontifici, vel Ordinario reseruata sunt.

## TITVLVS. X.

### *De Extrema Vnctione.*

VT oleum extremæ vnctionis ea, quæ par est, decentia tractetur, asseruetur q; & nè eo aliquando malefici abuti possint. Decernit Sancta hęc Synodus, & peculiari cura iniungit; vt omnes Plebani sub pœna duorum aureorum ex auro, oleum sacrum, singulis annis ab Episcopo recẽter cõfecto, ex Ecclesia Cathedrali accipiant; & requisiti distribuant reliquis Ecclesijs sibi subiectis. Quarum rectoribus siuè sęcularibus, siuè regularibus, sub eadem pœna duorum aureorum ex auro præcipimus, vt illud à proprio Plebano petant, & de manu illius immediatè recipiant. Illudq; nulli, qui sacerdos non sit, vel saltem sacris initiatus deferendum tradant, & clauibus obseratum diligenter custodiant. Ità vt claues semper sint apud Parochum, nec alteri nisi vrgente necessitate tradantur. Et in domicilio ægroti dictum Oleum Sanctum nunquam relinquatur, nec alibi sub quouis prætextu: nisi fortè adsit Sacerdos, qui eius se diligentem custodem fore promittat. Vasa verò ad Oleum Sanctum seruandum ex decenti materia sint, non lignea, aut vitrea, aut Alabastro aut alia fragili materia; sed argentea, vel stannea affabre facta, quæ distinctè ac perspicuis litteris nomen Olei intus inclusi præseferant. Munda præterea sint, suisq; capsulis intus serico, extra corio circumuestitis inclusa. Quæ in Ecclesia, vel Sacri-

stia

stia in loco decenti clauibusq; obserato seruentur. Et qui negligens & inobediens, quò ad prędicta depręhensus fuerit Ordinarij Arbitrio seuerè punietur.

## TITVLVS. XI.

### De Celebratione festorum.

QVoniam circa festorum celebrationem non nulla mala irrepsere quæ rescindi omnino, ac tolli necesse est: Ideò specialiter, ac peculiari cura omnibus in memoriam reuocamus, & quatenus opus est statuimus atq; decernimus, ea quę sequntur.

Et primò quidem; Cum inoleuerit abusus, vt Rectores Ecclesiarum statis quibusdam diebus festis; quibus ex Ecclesiæ præcepto Missæ sacrificio debet populus interesse; inuitati à Plebanis, proprias Ecclesias, propriumq; populum sinè sacrificio Missæ relinquant: ita vt cogatur populus, vel longū iter suscipere, vel missę sacrificio carere: Idcirco ordinamus vt Rectores accedant quidem ad Ecclesiam sui Plebani, vt ei debitum obsequium præstent, sed nè rei culpę lethalis sint, prius vel ipsi per per se, vel per alios missam in proprijs Ecclesijs celebrent, vel certè prouideant nè proprij subditi, quibus in primis consulere debent beneficio audiendi missam priuētur, aut magnum subire cogantur incommodum vt eam audiant.

Secundò vt supplicationes processionesq; quæ in die festo Sancti Marci, & in diebus Rogationum ex veteri Ecclesię instituto fieri solent cum debita solemnitate celebrentur: Rectores Ecclesiarum, ad Ecclesiam proprij Plebani prędictis festis diebus accedant vt Plebanum adiuuent, & Processio maiori cum solemnitate fiat.

Tertiò. Vt Rectores Ecclesiarum diebus festis de pręcepto in proprijs Ecclesijs missam celebrent; vt commodius Populi Missæ sacrificio interesse possint: Ideò iubemus vt festa tam ex voto quam ex deuotione suscepta, si inciderint in die festo de præcepto, transferantur ad aliam commodiorem diem; in qua non sit obligatio & præceptum audiendi missam. Vt sic rectores Ecclesiarum inuitati ad alias Ecclesias, in quibus pręd. 

dictæ

dictæ festiuitate ex voto vel ex deuotione celebraris solent: ad easdem Ecclesias liberiori coscientia, & sine dispendio suorũ subditorum accedere possint. Et qui contra prædicta fecerit pœnæ pecuniariæ arbitrio nostro imponendæ erit subiectio.

## TITVLVS. XII.

### *De Legatis Pijs.*

OMnes Confessarij moneant Notarios & quoscumq; describentes vltimas hominum voluntates, testamenta, Donationes, & his similia: moneant, inquam eos teneri sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & decem aureorum, manifestare Illustrissimo ac Reuerendissimo Archiepiscopo, vel eius generali Vicario omnia legata facta ad pias causas, intrà decem dies à die mortis eorum, qui dicta legata pia constituerunt, vt sic melius, ac securius defunctorum voluntates esequtioni mandetur. Porrò dicta Excommunicationis, & decem aureorum pœna habetur in Synodo celebrata anno 1618. Titulo vndecimo Cap. vnico. § 2. Quã nos hic specialiter omnibus in memoriam reuocare, & innouare intendimus, & extendimus etiam ad prædictos quando eadem modo non manifestabunt legata pia, ijs etiã ad quos pertinent. Confraternitates etiam Laicorum & earum Correctores & Præfecti pro tẽpore existentes, curent diligenter, vt omnia ea onera ab ijsdem Confraternitatibus præstentur: quibus, pro aliqua bonorum seu mercedis receptione; vel pro pio aliquo legato, eodem Cõfraternitates se obligarunt, tum nè benefactorum frustretur voluntas & intentio: tum nè ij, qui Confraternitatibus præsunt; quibus præcipuè onus incumbit, curare, vt onera suscepta præstentur; aggrauent in hac parte peccato graui iniustitiæ, & ingratitudinis conscientias suas. Et propter eandem causam Parochi etiam & Curati omnes summopere inuigilent, vt, tum in proprijs Ecclesijs, tum in Confraternitationibus in ijsdem Ecclesijs coadunari solitis legata pia exequantur, & si in hac parte aliquas difficultates habuerint, quas ipsi per se superare non possint Ordinarium certiorem faciant.

TI-

# TITVLVS. XIII.

## *De Celebratione Missarum.*

VT eorum, qui oratoria vel capellas cum dote, & annis, redditibus ad populi deuotionem & commoditatem erexere pia voluntas adimpleatur: Sancta Synodus omnibus Clericis dicta oratoria, seù capellas tam in ciuitate, quam extra per totam Diœcesim habentibus, præcipit, vt iuxta fundatorum præscriptum missas, & alia deuotionis opera non alibi, sed in ijsdem Oratorijs & capellis per se ipsos, vel per substitutos faciant, alioquin sciant se non satisfacturos muneri suo, & peccaturos grauiter; quia in re magni momenti infideliter agunt frangendo promissum. Et si quis ad nos delatus fuerit huius criminis reus fructibus annuis pro ratione culpę priuabitur.

Item Prædecessorum Nostrorũ & Sacræ Congregationis decretis inhærendo Ordinamus & Præcipimus, vt in diebus Iouis, Veneris, & Sabbati maioris hebdomadę cæremonia Sacri Sepulchri & Sacrificium missæ nunquam celebretur: præterquam in Ecclesijs Parochialibus, & Regulariũ vtriusq; sexus in quibus adseruatur per totum annum Sãctissimum Eucharistię Sacramentum, alioquin sint ipso facto ea loca in quibus cæremonia Sancti Sepulchri, & Sacrificium missę celebrabitur interdicto subiecta.

Sciant etiam Sacerdotes qui pro annuo stipendio obligati sunt quotidie celebrare: se, iuxta communem Doctorum sententiam; non posse in die, quã sibi sumere solent ad quietem, celebrare missam pro alio, & aliud stipendium accipere, hoc enim non esset quiescere, sed lucro laborare, nec ad quietem prædictam cum celebrare nolunt debent Sacerdotes eligere diem festum de pręcepto vel magnę deuotionis, sed ferialem: inconueniens enim est vt diebus festis sacrificium omittant.

Pręterea vt ea quæ in Bulla Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Octaui de celebratione Missarum, ac in eiusdem Bullæ declaratione pręcepta sunt inuiolabiliter ab omnibus seruentur; aliqua, pręcipue quę ad Sacerdotes nobis subiectos pertinent, hic adnotare, atq; eis in memoriam reuocare, optimũ duximus. Primò.

Primò. Vbi pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcumq; incongrua, & exigua, siuè ab vna, siuè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacra Cōgregatio sub attestatione Diuini Iudicij, mandat ac præcipit vt absolutè tot missę celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynę pręscriptę fuerint, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi nō satisfaciant, quin immo grauiter peccent & ad restitutionem teneantur. Et declarat Sacra Congregatio verba illa [pręscriptę fuerint] intelligenda esse de præscriptione facta ab eo, qui Eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum nō præscripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot pręscripserit Ordinarius secundum morem suæ ciuitatis vel prouinciæ. Item si Ordinarius pręscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneri nihilominus missas illis ab offerente pręscriptas celebrare, & Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficij seù capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam missis celebrandis susceperint non posse eadem missa vtriq; obligationi satisfacere.

Secundò eadem Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri parte eiusdem eleemosynę sibi retenta, celebrandam committat, & declarat permittendum non esse vt Ecclesiæ ac loca pia, seù illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum vllam vtrumq; minimā portionem retineant ratione expensarum quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum Ecclesię, & loca ipsa alias non habent redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc, quam portionem retinebunt nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum missę sacrificio necessariò sunt subeundę, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs quę supersunt, expensis, vt supra, deductis, absolutè tot missæ celebrentur, quot præscriptę fuerint ab offerentibus eleemosynas. Declarat Insuper Sacra Congregatio. Hoc Decretum nō habere

locum, in beneficijs, quæ conferuntur in titulum; sed satis esse vt Rector beneficij, qui potest missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem ciuitatis vel prouinciæ, nisi in fundatione beneficij aliud cautum fuerit. Et Sacerdotes, quibus aliquando affertur eleemosyna maior solito pro celebratione missæ, debere dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus missam celebrandam committunt; nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Tertiò eadem Sacra Congregatio districtè prohibet ne Sacerdotes imposterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, sinè Episcopi, vel eius Vicarij Generalis licentia in scriptis & gratis concedenda, alioquin qui huius prohibitionis transgressor extiterit ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis, mandat, vt, ità demum ijdem accipere possint, si omnibus antea impositis, ità satisfecerint, vt noua quoq; onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione eleemosyna pro missis, vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis; ne fideles ea ratione frustrentur. Et declarat Sacra Congregatio hoc Decretum non prohibere absolute quo minus Sacerdotes accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerint: sed posse eas vtiq; noua onera suscipere missarum celebrandarum, & si oneribus iam susceptis non satisfecerint; dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Quod si onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant: si tamen tribuens eleemosynā pro aliarum missarum celebratione, id sciat, & consentiat, vt illę tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit. Declarat Congregatio Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem missis iuxta Benefactoris consensum celebrandis. Et sub illis verbis [capsulas auferant] declarat, comprehendi etiam illas capsulas, quę apponi solent in Ecclesijs in die commemorationis omnium defunctorū, & vulgo dicuntur, [Casse de Morti] Item nec Administratores Ecclesię Magnæ deuotionis, & cōcursus, vllatenus posse, nisi de consensu eorum qui eleemosynas

nas tribuunt, easdem eleemosynas accipere pro missis celebrandis; si ijsdem missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant. Declarat Demum Sacra Congregatio: sub illa clausula, Generali [& alijs ad quos pertinet] comprehendi etiam omnes priuatos Sacerdotes.

Nec Summi Pontificis & Sacrę Congregationis Decreta, declarationesq; quatenus ad Sacerdotes nobis subiectos pertinent, voluimus nostris hisce Synodalibus cōstitutionibus inserere; vt ea omnes prę manibus habeant, & inuiolabiliter seruent; & spirituales poenas, quę ab eorum inobseruantia procedunt perhorrescant.

## TITVLVS. XIIII.

### *De Sacramento Matrimonij.*

QVoniam in matrimonijs hominum externorum celebrandis sępe Poligamię vitium in multis Orbis terrę partibus solet contingere. Idcirco Eminentissimus Cardinalis Barberinus, vt ad alios, ita ad nos litteras misit, datas die 30. Augusti 1636. In quibus litteris Summi Pontificis nomine seuerè nobis iniungit, vt omni cura inuigilemus, vt in hac nostra Dioecesi in matrimonijs externorum celebrandis seruetur forma & instructio, quam circa testium examen, Sacra Congregatio Sancti Officij fecit, atq; prędscripsit Nos igitur cum huic Summi Pontificis mandato promptè parere velimus: & Poligamię vitium ab hac nostra Dioecesi procul arcere cupiamus: Iuxta ea, quę in prędicta Epistola nobis ab Eminentissimo Barberino scripta sunt: Pręcipimus Notarijs omnibus nè inposterum ipsi per se examinent testes, qui inducuntur pro externorum matrimonijs contrahendis, sed eos examinent vel coram nobis vel coram Vicario nostro. Et districtè prohibemus ijsdem notarijs, nè quicquam muneris, aut mercedis accipiant pro examine dictorum testium, sub poena priuationis officij, & sub pęna corporali nostro arbitrio imponenda, sed totum præstent gratis, etiam quo ad scripturam. Rursus in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus omnibus Parochis & Curatis vt cum externorum matrimonia erunt celebranda, non prius faciant consuetas Ecclesiæ denunciatio-

nes: nec quicquam aliud agant in hac parte matrimonij celebrandi, quam de ipsis personis externis contrahere volentibus, nos vel Vicarium nostrum certiores faciant; & antequã à nobis vel ab eodem Vicario nostro recipiant fidem authenticam; testes matrimonij contrahendi fuisse in nostro tribunali examinatos; & ab ijsdem testibus probatum fuisse contrahere volentes vere esse liberos ac solutos. Tandem cupientes valdè Instructionem prædictam Sacrę Congregationis Sãcti Officij, omnibus præcipuè Notarijs innotescere: & ab ijsdem strictè seruari; eam hic impressam haberi voluimus.

*Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs tam in Curia Eminentissimi Cardinalis Vicarij Vrbis, quam in alijs Curijs externorum Ordinariorum.*

INprimis testis moneatur de grauitate iuramenti; in hoc præsertim negotio pertimescendi in quo diuina simul, & humana maiestas lœditur, ob rei de quà tractatur importantiam, & grauitatem, iminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione,

3. An sit ciuis, vel exterus, & quatenus sit exterus à quanto tẽre est in hoc loco, in quo testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus si dixerit accessisse sponte à nemine requisitus, interrogetur an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes, etsi responderit negatiue testis dimittatur quia pręsumitur mendax; si vero dixerit accessisse requisitus.

5. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquod datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore in quo loco, & quà occasione cuius qualitatis vel conditionis existant.

Si responderit negatiue testis dimittatur, si vero affirmatiuè.

Interrogetur, an contrahere volentes sint ciues, vel exteri.

Si responderit esse exteros.

In-

Interrogetur à quãto tempore accesserint ad hanc Vrbem vnde venerint, an venerint insimul, vel separatim.

Si responderit venisse de recẽti vel in simul super sedeatur in licentia contrahendi donec per litteras eorum Ordinarij ac loci, à quo contrahentes recessere, doceatur inter cõtrahentes non adesse impedimentum, & mulierem non esse raptam.

Si vero responderit venisse à multo tempore citra, vel contrahentes esse ciues.

Interrogetur sub quam Parochia hactenus contrahentes habitarunt, vel habitent de presenti.

Item an ipse testis sciat aliquem exprędictis contrahere volentibus quandoque habuisse vxorem, vel maritum.

Si responderit affirmatiuè nõ procedatur ad licentiã nisi producantur authentice, & legales attestationes, vel testes fide digni, & verisimiliter informati de obitu Coniugis defũcti.

Si vero testis responderit non habuisse vxorem, vel maritum.

Interrogetur de causa scientię, & an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, & quod ipse testis nesciat.

Si responderit affirmatiuè supersedeatur nisi ex alijs testibus probetur concludenter non habuisse vxorem, vel maritum.

Si vero responderit negatiuè.

Interrogetur de causa scientiæ, ex quà deinde Iudex colligere poterit an testi sit danda fides.

Si responderit cõtrahentes habuisse vxorem vel maritum sed esse mortuos.

Interrogetur de loco, & tempore quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat esse mortuos.

Item interrogetur an post mortem dicto Coniugis defũcti aliquis exprædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negatiuè.

Interrogetur an esse possit quod aliquis ex illis trãsierit ad secũda vota absq; eo & quod ipse testis sciat.

Si responderit affirmatiuè super sedeatur in licẽtia donec producantur testes per quos negatiua coaretętur cõcludenter.

Si vero negatiuè.

Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa Iudex poterit iu-

dicare an sit concedenda licentia vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiã contrahendi nisi doceant per fides Ordinariorum suorum eos esse liberos, & in alijs seruata forma Conc. Trid. in cap. multi sess. 24

Fides aliaq; documenta quę producuntur de partibus nõ admittantur nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarij, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum vel sigillum.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quã extranei, quia pręsumuntur melius informati, & ciues magis quam exteri.

Vltra prædicta omnes locorum Ordinarij præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus vt pro matrimonijs cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesijs, nisi certiorato Ordinario, à quo vel eius Generali Vicario prius teneantur authenticã fidem reportare quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, contrauenientes autem seuerè puniantur.

## TITVLVS. XV.

### *De habitu & Pręcedentia Clericorum in rebus Sacris.*

QVoniam suburbium Plebani videntur quidam veluti majores præsules ac Pastores quippe qui Rectores Ecclesiarum non nullos habent sibi subiectos. Idcircò vt eorumdem Plebanorum dignitas etiam ex habitu ipso spectabilis sit. Prohibet Sancta Synodus ne Parochus, aut Curatus vllus Plebano inferior audeat portare Caputium similem ei, quem ferre solent Plebani, & Plebani ipsi non inusitatę sed consuetæ figuræ caputium portent, Nisi prius probauerint se in antiquo esse iurę ac possessione talem habitum portandi. Etenim nulli licet propria auctoritate sibi assumere habitum huiusmodi.

Item prohibet Sancta Synodus vt nullo pacto liceat in posterum Plebanis conuocare Parochos alterius Plebanię tam

ad

ad festum quodlibet, quam ad funera celebranda, nisi prius conuocauerit & inuitauerit Parochos & Rectores propriæ Plebaniæ. Æquum enim est vt Plebanus Rectorum & Parochorum propriæ Plebaniæ in primis rationem habeat.

Item ad tollēdas omnes rixas quæ tum in festis tum in mortuorum funeribus celebrandis inter Presbiteros oriri solent præcedentiæ causa Declarat Sancta Synodus, ac decernit, vt quando festum seu funus celebratur in Ecclesia Plebani: si Plebanus ipse Missæ Sacrum facere noluerit, debet eius loco sacrum facere Prior, & hoc deficiente Rector antiquior possessione illius Plebatus, & non Capellanus Plebani. At si festum, aut funus celebrandum sit in alia Ecclesia eiusdem Plebatus, & ad eam Ecclesiam Plebanus vel propter malam valetudinem, vel propter senectutem, vel quia ad alterius Ecclesiæ festum, seu funus celebrandum accesserit: vel quia eadem die in propria Ecclesia festum aut funus celebrat: Tunc debet celebrare Missam Vice Plebanus, seu Capellanus, vti repræsentans suum Plebanum à quo missus fuit. At si Plebanus non sit legittimè impeditus, vt supra dictum est, etiam si in sui vicem mittat Capellanum vel alium, non ipse Capellanus vel alius à Plebano missus, sed Prior dicti Plebatus, vel eo deficiente antiquior possessione Rector debet sacrum facere; vt supra. Deniq; ordinamus vt omnes Præsbiteri rurales cuiuscumq; gradus & conditionis sint, quoties interuenire debent officijs, anniuersarijs, festis, Processionibus, Choris & his similibus vtantur, pro maiori rerum sacrarum dignitate, habitu suo Clericali, nempe Cotta, & Bireto; & si Plebani fuerint, Caputio sub pœna priuationis eleemosynæ & distributionis, quam eo tempore lucrarentur: quę eleemosyna ab ipso distributore detur statim pauperibus.

## TITVLVS. XVI.

### *De Iubileo, & Indulgentijs.*

QVando Iubilæum, aut Indulgentias alias vniuersales publicari oportebit: Ecclesias à populo visitandas eligere ac determinare debent soli Plebani. Quibus summopere commendamus, vt hac in re diligenter animaduer-

tant nè Ecclesias eligant populo nimis incommodas. Et vt talis electio Ecclesiarum maiori cũ pace & concordia Præsbiterorum, & populorum spirituali prouentu fiat; Plebanus ante quã Ecclesias eligat ac determinet, nonnullos ex antiquioribus Parochis aut Rectoribus sui Plebatus in consilium adhibeat, & ab illis petat, quid hac in re facto opus sit, & eorum auditis sententijs determinet quid sibi in Domino visum fuerit, ad publicum animarum bonum expedire.

## TITVLVS. XVII.

### *De Obseruatione festorum ex præcepto.*

QVoniam pastoralis officij nostri partes sunt, vigilare summopere vt dies festi, quos ex Sanctę Matris Ecclesię præcepto fideles omnes sanctificare tenetur: nullatenus ab aliquo seruilibus operibus violentur: Idcirco voluimus hic apponere, & renouare nostrum edictum de Sanctificatione festorum, quod anno 1633. Prima die Octobris publicari iussimus, est autem huiusmodi.

### Editto circa la Santificatione delle Feste.

*Piero Niccolini per grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica Arciuescouo di Firenze.*

SEntendo noi, e con li proprij occhi con grand'afflitione dell'animo nostro vedendo quanto augumento habbia preso in questa Città, e Diocesi nostra il pessimo abuso introdotto, circa la Santificatione delle Feste comandate, contro il Precetto Diuino, cõ hauere ardire, scordatisi della Salute propria, di publicamente, & alla libera ne giorni Festiui lauorare, tenere aperte le Botteghe, e vendere comperare, negotiare, carreggiare, e vettureggiare come si fà ne giorni Feriali, non facendo distintione alcuna da giorni dedicati à Onore di Sua Diuina Maestà da gl'altri, cosa oltre all'offesa graue di Dio, di scandolo grande alle persone timorate. Potendosi quasi tenere per fermo, che il gastigo con che il Signore Iddio

con

con l'infinita sua misericordia ci hà percosso possa in gran parte procedere dalla Violatione di vn tanto Precetto, e se bene habbiamo più volte con Paterne monitioni fatto diligentia rimediare à sì gran male con hauer per publici Editti ricordato la Reuerentia de luogi Sacri, e l'Osseruanza di tal precetto con tutto ciò siamo venuti in chiaro, che non solo l'esortationi da Noi con Paterno affetto fatte non hanno operato effetto alcuno, mà che più tosto l'abuso, è, andato crescendo, e pigliando forza; Onde con gran nostro disgusto habbiamo risoluto di prouare se con le pene temporali, poiche non ci, è, riuscito con la ricordanza delle Spirituali possiamo come, è debito nostro estirpare tale abuso. Perciò per il presente nostro publico Editto con comandare principalmente l'Inuiolabile osseruanza del Precetto Diuino, prohibiamo espressamente à qualsiuoglia persona, il lauorare, tenere Botteghe aperte, il vendere, e comperare ne giorni Festiui, e comandati dalla S. Madre Chiesa, eccetto à quelli à quali secōdo il laudabile Costume di questa Città tocca la tratta, con prohibitione però espressa il fare mostra di sorte alcuna, mà solo possino tenere aperte le Botteghe per benefitio di quelli, che hanno bisogno di prouedersi di cose commestibili, come ancora si eccettuano tutti li Fornai, e Beccai, e quelli che tengono à vendere pane solamente, e li Ortolani, e tutti quelli che portano, e vendano per le publiche Piazze, e Strade herbaggi, frutte, latticini, e simili cose necessarie per il vitto humano; Sì come ancora prohibiamo il poter caricare, e vettureggiare con Carri, ò bestie legne di qualunque sorte, brace, carboni, pali, & altre sorti di legnami, & in effetto qual si sia altra cosa, eccetto però le Mercantie, che si portano fuori, ò, dentro alla Città, e Grano, Vino, Olio, Cacio, Pollami, & altre cose necessarie per il vitto sotto pena per la Prima volta, che saranno trouati di scudi dua di moneta, per la Seconda di scudi cinque, e per la Terza di scudi dieci, e dell'Arbitrio, applicati à Luoghi Pij; Et à quelli che non hauessino altra porta per entrare in Casa, che quella della Bottega se li permette il potere entrare, & vscire ogni volta che li bisogni con serrare ogni volta l'vscio, ò sportello con prohibitione espressa di non poter vendere cosa alcuna sotto le medesime pene. Auuertendo ciascuno, che si terrà diligentissimo cōto de Transgressori per

pro-

procedere quando si vedranno inobbedienti ancora alle pe-corporali.

Dato in Firenze nel nostro Palazzo Archiepiscopale. Il dì primo d'Ottobre 1633.

*Piero Niccolini Arciuescouo di Firenze.*

## TITVLVS. XVIII.

### *De festo S. Andreę Corsini, & S. Francisci.*

CVM festum Sancti Andreę Corsini, vt potè incidens in diem Epiphaniæ Domini, sit singulis annis varijs translationibus, mutationibusq; subiectum: optimum duximus non nullorum prudenti consilio aquiescere, & certam ac determinatam diem huic festo celebrando assignare. Cum igitur Vigesima tertia dies Ianuarij commodior futura sit; cum nullis festis, aut officijs dupplicibus vnquam sit impedita: hanc illi vigesima tertiam diem Ianuarij assignamus in posterum ac decernimus:

Item cum Sacra Congregatio Sixti Quarti Summi Pontificis ordinationibus inhærendo, speculiari suo Decreto, anno 1622. edito iusserit festum S. Francisci Patriarchæ vbiq; terrarum ex præcepto seruari. Sancta Synodus hoc Sacrę Congregationis Decretum libens, volensq; recipiens, illud fidelibus omnibus Florentinę Diœcesis insinuat ac proponit, & iuxtà illud decernit & publicat festum eiusdem S. Francisci inposterum seruandum esse ex Ecclesiæ præcepto, & in eo ab omnibus operibus seruilibus abstinendum.

## TITVLVS. XIX.

### *De Oratione Quadraginta horarum.*

VT admirabile, & augustissimum Sacramentum Eucharistię, quemadmodum reliquis Sacramentis longè pręcellit; ita etiam prę cæteris Sanctissimè colatur, religiosissimè tractetur, & custodiatur, renouamus specialiter, & sub interdicti pœna præcipimus, vt in nullis Ecclesijs seù locis, habean-

tur

